Morbio 5 (23)

~~XXIII~~

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Innocentius eps servus servorum dei Venerabili fratri .. Archiepo Mediolanen et dilectis filijs .. sancti Michaelis de Clusa Taurinen dioc ac .. sancti Proculi Bononien Monasteriorum Abbatibus Salt et aplicam ben. Militanti ecclie licet
immeriti disponente domino presidentes circa curam eccliarum et Monasteriorum omnium solercia reddimur indefessa soliciti ut iuxta pastoralis officij debitum eorum occurramus dispendijs et profectibus divina cooperante clementia salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum .. Abbatis et
Conventus monasterij sancti Antonij ad Roman ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Vienneñ dioc conquestione percepimus qd nonnulli Archiepi Epi aliique eccliarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam etiam seculares necnon
Duces Marchiones Comites Barones Nobiles Milites et laici Communia Civitatum Universitates Opidorum Castrorum Villarum et aliorum locorum et alie singulares persone Civitatum et dioc et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt Castra villas et
alia loca terras domos possessiones iura iurisdictiones necnon fructus census redditus et proventus et nonnulla alia bona mobilia et imobilia spiritualia et temporalia ad Abbatem et Conventum predictos spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus
prestant auxilium consilium vel favorem. Nonnulli etiam Civitatum dioc et partium predictarum qui nomen domini in vacuum recipere non formidant eisdem Abbati et Conventui super predictis Castris villis et locis alijs terris domibus possessionibus iuribus et iurisdi
ctionibus fructibus censibus redditibus et proventibus eorundem et quibuscumque alijs bonis mobilibus et imobilibus spiritualibus et temporalibus et alijs rebus ad Abbatem et Conventum predictos spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare
prefati Abbas et Conventus nobis super hoc humiliter supplicarunt ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad aplicam sedem habere recursum providere ipis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores presumptores
detentores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem Abbati et Conventui remedio subvenire per quod ipsorum compescatur temeritas et alijs aditus committendi similia precludatur discretioni vre per aplica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus
vrm per vos vel alium seu alios etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conservatores et Iudices prefatis Abbati et Conventui efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eosdem Abbatem et Conventum super hijs et quibuslibet alijs bonis
et iuribus ad ipos Abbatem et Conventum spectantibus ab eisdem vel quibuscumque alijs indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari facturi dictis Abbati et Conventui cum ab eisdem vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requi
siti de predictis bonis et alijs personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum Villarum terrarum et aliorum locorum iurium et iurisdictionum ac bonorum imobilium et mobilium redditium quoque ac proventuum et aliorum quorumcumque bonorum necnon de quibuslibet mo
lestijs iniurijs atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie et de plano sine strepitu et figura iudicij in alijs vero prout qualitas eorum exegerit iustitie complementum. Occupatores seu detentores presumptores
et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status ordinis vel conditionis extiterint quandocumque et quotienscumque expedierit auctoritate nra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Invocato ad hoc si opus
fuerit auxilio Brachij secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacij pp. viij. predecessoris nri in quibus cavetur ne aliquis extra suam Civitatem vel dioc nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue dioc ad iudicium evo
cetur seu ne Iudices et Conservatores a sede deputati predicta extra Civitatem et dioc in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere vel alij sive alijs vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine dioc eorundem trahere presumant
dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur. Seu qd de alijs quam de manifestis iniurijs ac violentijs ac alijs que iudicialem requirunt indaginem penis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis Conservatores se nullatenus
intromittant quam alijs quibuscumque Constitutionibus a predecessoribus nris Roman pontificibus quam de Iudicibus delegatis et Conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut alijs editis que vre possent in hac parte iurisdictioni
aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum qd excommunicari suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per literas aplicas non facientes plenam et
expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus proprijs mentionem. et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam
vre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nris literis mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate aplica decernimus qd quilibet vrm prosequi valeat articulum etiam per
alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento prepeditus Quodque a dat presentium sit vobis et unicuique vrm in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa ut eo vigore eaque firmitate
possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vra et cuiuslibet vrm in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum
extitisset. Constitutione super Conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post Octo Annos minime valituris. Dat Avinion viij Kl Martij
Pontificatus nri Anno Primo.

B. de Trasinons.

B. ff.

Morbio 5 (23)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1776424093-19/fragment/page=0001

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1776424093-19/fragment/page=0002

XXIII
Morbio 5 (23)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Innocentius episcopus servus servorum dei Venerabili fratri .. Archiepiscopo Mediolanensi et dilectis filiis .. Sancti Michaelis de Clusa Taurinensis diocesis ac .. Sancti Proculi Bononiensis Monasteriorum Abbatibus Salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet
immeriti disponente domino presidentes circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa solliciti ut iuxta pastoralis officii debitum eorum occurramus dispendiis et profectibus divina cooperante clementia salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum .. Abbatis et
Conventus monasterii Sancti Antonii ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Viennensis diocesis conquestione percepimus quod nonnulli Archiepiscopi Episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam etiam seculares necnon
Duces Marchiones Comites Barones Nobiles Milites et laici Communia Civitatum Universitates Opidorum Castrorum Villarum et aliorum locorum et alie singulares persone Civitatum et diocesis et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt Castra Villas et
alia loca terras domos possessiones iura iurisdictiones necnon fructus census redditus et proventus et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad Abbatem et Conventum predictos spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus
prestant auxilium consilium vel favorem. Nonnulli etiam Civitatum diocesis et partium predictarum qui nomen domini in vacuum recipere non formidant eisdem Abbati et Conventui super predictis Castris villis et locis aliis terris domibus possessionibus iuribus et iurisdi-
ctionibus fructibus censibus redditibus et proventibus eorundem et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus et aliis rebus ad Abbatem et Conventum predictos spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare
prefati Abbas et Conventus nobis super hoc humiliter supplicarunt ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores presumptores
detentores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem Abbati et Conventui remedio subvenire per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus
vestrum per vos vel alium seu alios etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conservatores et Iudices prefatis Abbati et Conventui efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eosdem Abbatem et Conventum super hiis et quibuslibet aliis bonis
et iuribus ad ipsos Abbatem et Conventum spectantibus ab eisdem vel quibuscumque aliis indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari facturi dictis Abbati et Conventui cum ab eisdem vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requi-
siti de predictis bonis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum Villarum terrarum et aliorum locorum iurium et iurisdictionum ac bonorum immobilium et mobilium redditium quoque ac proventuum et aliorum quorumcumque bonorum necnon de quibuslibet mo-
lestiis iniuriis atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iustitie complementum. Occupatores seu detentores presumptores
et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status ordinis vel conditionis extiterint quandocumque et quotienscumque expedierit auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Invocato ad hoc si opus
fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape viii predecessoris nostri in quibus cavetur ne aliquis extra suam Civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evo-
cetur seu ne Iudices et Conservatores a sede deputati predicta extra Civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere vel alii sive aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant
dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis ac violentiis ac aliis que iudicialem requirunt indaginem penis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis Conservatores se nullatenus
intromittant quam aliis quibuscumque Constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de Iudicibus delegatis et Conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte iurisdictioni
aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum quod excommunicari suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et
expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem. Et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam
vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per
alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento prepeditus quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa ut eo vigore eaque firmitate
possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum
extitisset. Constitutione super Conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post Octo Annos minime valituris. Dat Avinion viii kl Martii
Pontificatus nostri Anno Primo.

xxx
B. de Trusinons.

B. St.

Morbio 5 (23)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

XXIII

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1776424093-19/fragment/page=0003